



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXIII. Raginfredvs. II. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



S E R I E S

ARCHIEPISCOPORUM COLONIÆ. PERIODUS II.

XXII. D. AGILOLPHVS. I. ARCH.

Operante plurimum, ut fides est, Dagoberto III. Francorum Rege, D. Agilolphus Archiepiscoporum Coloniae omnium primus, à D. Gregorio II. Pontifice est exornatus Pallio, simulque Archiepiscopali ejusdem potestati fuerunt subiecti Episcopi quatuor, aut plures, nimirum Leodiensis, Ultrajectensis, Monasteriensis, & Osnabrugensis, ac demum etiam Mindensis. Verum his dictis opponunt Sciptorum nonnulli, D. Agilolphum an. Sedis 7. Christi 717. à vitiosissimis hominibus occisum, Archiepiscopatum verò Coloniae annis ferè 30. ferrius inchoatum fuisse; unde Agilolphum alterum in Serie adjiendum dicunt, vel longè citiùs sub Agilolpho nostro institutum jam esse evincunt, vel certè sub Agilolpho initium non accepisse, dictat ratio & necessitas.

XXIII. RAGINFREDVS. II. ARCH.

Reginfredus ab aliis nuncupatus, Carolo Martello in Francia Regio munere strenuè fungenti, sese peracceptum reddidit per años omnino 30. si manuscriptis huc missis sit insistendum. Dolendum sanè, quòd de Archipræsulibus hoc præfertim seculo non nisi communi pluribus laude celebratis relicta non fuerint elogia singularia; nam Virorum Principum vel insignes virtutes, vel etiam vitia nôsse, plus placet crebrò Lectoribus

bus, quàm ignorâsse omnia. Anno hujus Seculi 50. die obiisse suam traditur Raginfredus,

XXIV. D. HILDEGARVS III. ARCH.

Hildebertus ab aliis nominatus, multorum Sacerdotum antesignanus, anno Sedis suæ 7. vix finito jam cecidit, occisus à Saxonum turba idololatriæ innutrita. Anno nimirum Salutis 757. Franci Duce Pipino Rege, vel certè Regis loco regnante, in Saxones durissimos moverunt sequentibus Ducem commilitonibus multis.

XXV. BERTHOLINVS. IV. ARCH.

Bertholinus Annorum 15. Archiepiscopus templis omnino diversis vetustate deformatis decorem restituit, & novissimè extructis addidit: Divi insuper Agilolphii ossa honoravit, & conversione multorum idololatrarum Christianos cœtus insigni augmento exornavit, Pipino genitori, & Carolo filio Francorum Regibus ex assè Catholicis perquam pretiosus. Anno 772. obiisse scribunt.

XXVI. RICOLPHVS. V. ARCH.

Richolphus, quem multi Richolphum; pauci Reinoldum dixerunt nomine, Archipræsulem sanè laudibus dignissimum, qui nempe Colonienses inter per annos 10. eâ gregem Domini custodivit cura ac vigilantia, ut ejusdem gesta laudârint omnes maximè à singulari in pauperes munificentia; mortem verò à singulari patientia: occisus enim clam à sicariis sacrilegis in coelos evolavit, dum cadaver pretiosissimæ animæ domicilium in aquas profundas demersum, in ipsas Divorum Aras elevari est promeritum.

XXVII. HILDEBOLDVS. VI. ARCH.

Dildeboldus Annis 36. Colonia Antistes Supremus præfuit, ab anno nimirum 782. usque ad annum 818. quo